

*Michele da Cantono e il figlio
Gerardo, rinunciano a beni
posseduti a Gerace e Grotteria*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Michele da Cantono e il figlio
Gerardo, rinunciano a beni
posseduti a Gerace e Grotteria*

1336-03-06

In Christi nomine amen. Anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo sexto, regnante serenissimo domino nostro rege Ruberto, Dei gratia inclito Ierusalem, et Sicilie rege, Ducatus Apulie, et Principatus Capue, Provincie, et Forcalquerii, ac Pedemontis comite, regnorum vero eius anno vigesimo octavo feliciter amen. Die sexto mensis martii, quinte indictionis, apud Neapolim.

Nos Petrus Magnellis, iudex civitatis Neapolis ad contractus, Guido Princeps, publicus eiusdem civitatis Neapolis regia auctoritate notarius, et testes subscripti ad hoc specialiter vocati et rogati, presenti scripto publico notum facimus et testamur quod in nostra presentia constitutis nobili et egregio viro magistro Michaeli de Cantono de Messana, regio consiliario et familiari, et Gerardo filio eius, cum auctoritate, voluntate et consensu eiusdem dicti patris sui. Dicti pater et filius, attendentes — ut asseruerunt — quod magnificus vir dominus Guglielmus Ruffus de Calabria, comes Sinopoli, dudum renunciavit petitioni et occupationi cuiusque quantitatis pecunie, rerum atque iocalium, exhibitis, solutis et traditis ipsi magistro Michaeli et eidem Gerardo vel eorum alteri in dotem, et nomine dotis, promisse per eundem dominum comitem eidem magistro Michaeli, vel ipsi Gerardo, vel eorum alteri pro quondam nobili Colella, filia dicti domini comitis et uxori ipsius Gerardi; quodque prefatam pecuniam, arnesium atque iocalia idem dominus comes, cessit, donavit et gratiosi concessit, eidem magistro Micheli et Girardo absque se alicuius recuperationis, vel rehalitionis, sicut idem magister Michael et Girardus asseruerunt noviter coram nobis sponte voluntarie atque grata, ex causa predictae

renunciationis, donationis et cessionis ipsius pecunie, arnesis et iocalium factarum per eundem dominum comitem, predicto magistro Michaeli et Girardo ut supra dederunt, cesserunt, transtulerunt et renunciaverunt eidem domino comiti, bonos stabilia sita in civitate Giracii et eius territorio, ac in Agrotteria et eius territorio, que idem magister Michael et Gerardus, tam ex venditione facta eis per notarium Nicolaum Tropeanum de Geracio, quam ex donatione et confirmatione predictis dominum comitem habere, vel habuisse noscuntur, in quorum quidem possessionem corporalem, per fustem, predictus dominus comes per ipsius magistri Michaelis nuncium noscitur, iam inductus et sunt subscripta. Petia terre una sita in civitate Geracii, seu eius territorio, in loco ubi dicitur Salipeia, que asseritur fuisse Guglielmi Valderi, iuxta terra Malgerii Valderi, terram que fuit domine Costantie Valderi, viam publicam et alios confines. Item omnes ius et actiones reales et personales et dominium utilem, vel directum, quod vel quam notarius Nicolai Tropeanus habet, et habere potest in possessionibus donatis sibi per dominum comitem Sinopolis, sitis in partibus Calabrie, seu ubicumque existentibus. Ita quod ullo unquam tempore prefatus magister Michel et Gerardus possint, nec valeant propter ea aliquid pretium petere ab eisdem domino comitem, atque heredibus suis asserens, se procuratore et nuncio ipsius domini comitis, seu eius heredum et successorum, me predicto Notario publico, et notario Gualterio nomine dicti domini comitis stipulante. Quinimmo ipsi magister Michael et Gerardus, cum voluntate et autoritate, quam supra pro se heredibus et successoribus suis, remiserunt, quietaverunt, et donaverunt eidem domino comiti donationis irrevocabiliter inter vivos, bona ipsa

omnia stabilia supradicta, ac ius et actionem quod et quam ipsi pater et filius habere possent in bonis, obligaverunt dictus magister Michael et Gerardus filius eius, eidem notario Gualterio ibidem presenti stipulanti nomine, et pro parte eiusdem domini comitis predictos conventiones, et remissiones semper, et omni tempore ratas, gratas, habere, tenere et firmas, et non contrafacere, vel venire de iure, vel de facto in iudicio, vel extra, aliqua ratione, vel causa obligationes, se propterea dicti domini magister Michael et Gerardus filius eius, cum autoritate quam supra heredes, et successores universales, et singulares, et bona eorum omnia mobilia, et stabilia, burgensatica, vel Pheudalia ubicumque existentia, presentia et futura ac etiam boves aratorios ad agriculturas pertinentes, eidem notario Gualterio nomine quo supra poena unciarum auri ducentorum medietate scilicet ipsius poene regie curie et reliqua medietatem eidem domino comiti, vel eius heredibus si secus per eosdem magistrum Michael et Gerardus, vel eorum heredes, inde fieret applicanda. Cuius poene medietatem, ego predictus notarius, tamquam personam publica pro parte ipsius curie regie, et reliquam medietatem ipsius poene predictus notarius Gualterius nomine, quo supra fuimus a predicto magistro Michael et Gerardo, et ipsorum quolibet legitimi stipulati, que poena si committi contigerit peti possit, et exigi cum effectum a dictis patris et filius, vel eorum heredibus tam pro parte dicte regie curie, quam pro parte dicti domini comitis, et eius heredum cum refectione damnorum, interesse et expensarum, que vel quas, ipsum dominum comitem, vel eius heredes, subire contigerit quocumque modo, de quibus damnis, expensis et interesse soli simplici assertioni dicti comitis seu eius heredum

credatur. Ipsaque poena remissa, vel non aut exacta, vel non aut gratiose remissa, presens instrumentum cum omnibus in se contentis plenam obtineat roboris firmitatem. Renunciantes predictus magister Michael et Gerardus super iis propter, et pro se ipsius, et eorum heredibus dicto notario Gualterio, stipulanti nomine ipsius domini comitis, et eidem domino comiti absenti, tamquam presenti, exceptioni doli, mali, vis, metus et infactum presens non celebratum contractum, et rei predicto modo, non gesta, privilegium fori, litteris et rescriptis quibuslibet impetratis, et impetrandis legibus, usibus, consuetudinibus, constitutionibus et capitulis regni, editis et cedendis, et omnibus iuribus et legum auxiliis canonicis, et civilibus, nec aliquid allegare de iura, vel de factum per que, seu quas, contra presens instrumentum quietationis in totum, vel in partem, irritari possit seu quomodolibet annullari, et specialiter iuri per quod generales renunciaciones impugnantur, et iuri per quod tenetur quod renunciatio predicta non valet. Ita tamen quod non liceat predicto domino comiti vel eius heredibus, seu aliis eius nomine, repetere aliquo tempore predictos magistros Michaelis et Gerardo, vel haeredibus eorum, predictam pecuniam, arnensium et iocalia domini predicti in totum vel in partem, iis actis sponte, publici et bona fide, sine aliquas fraude vel machinatione, cum guadia et stipulatione solemni adhibita in praemissis. Debeat fieri solemnitatis est hac quietatis, seu remissio roboris, obtineat firmitatem prout iuris ratio postulat et requirit.

Et quod presens instrumentum possit refici, semel bis et ter quoties opus fuerit, non mutata substantia veritatis ad consilium sapientis dictarum partium,

seu heredum suorum. Unde ad futuram memoriam et predicti domini comitis, ac prefatorum domini magistri Michaelis et Gerardi suorumque, tam ipsius domini comitis, quam predictorum patris et filii heredum et successorum, cauthelam factum est exinde presens publicum instrumentum per manus mei predicti notarii, meo signo signatum, nostri qui supra iudicis, et subscriptorum testium subscriptionibus roboratum. Quod scripsi † Ego predictus Guido publicus dicte civitatis Neapolis notarius qui predictis omnibus rogatus interfui, ipsumque meo consuetu signo signavi. † Ego Petrus Mannelli qui supra iudex ad contractus subscripsi. † Ego Ioanne Prothopapa de Calanna predictis interfui et testor. † Ego notarius Mattheus Siritus de Neapoli testis sum. † Ego notarius Federicus de Monteforti de Neapoli testis sum. † Ego Berardus Surrentinus de Neapoli testis sum. † Ego notarius Petrus de Lentino testis sum. † Ego Andreas de Loti de Messana testis sum.